



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

LXXI. Differentia 4. Iure Canonico propter sacrorum ordinum collationem
nec episcopo accipere aliquid, nec tabellioni licet,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

DIFFERENTIA 4.

Iure Canonico propter sacrorum ordinum collationem nec episcopo accipere aliquid dicitur, nec tabellioni licet, c. Sicut episcopus in l. q. 2. Iure civili autem permittitur consuetudo accipiendi aliquid. Auth. de sanctiss. episc. c. 3. §. Pro consuet. Ioann. Bapt. à S. Blásio 99.

I. **C**aput citatum, sicut ex c. 88. Synodi Romæ habitæ, Episcopum, ait, non decet manum, quam impoluit, vendere; nec minister, vel Notarius debet in ordinatione ejus vocem suam, vel calamum venundare. Is autem, qui ordinatus fuerit, si non ex placito (pacto) neque exactus post acceptas chartas, & pallium aliquid gratiæ tantummodo causâ dare voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus. Idem alibi inculcatur, nec ignotum est. Novissimè declarasse S. Congreg. Concil. Trid. ut ordinator ne quidem forfices, mappas, petines, vel similia, sed tantummodo cereum accipiat, Piasius refert in *Praxi episc. part. c. 1. n. 55*. Imò ne quidem pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo aliavé causâ qualibet etiam sponte oblatum Episcopi, & alii ordinum collatores, aut eorum ministri quovis prætextu accipere possunt, *Conc. Tr. Sess. 21. c. 1. de reform. V. Suar. l. 4. de Simon. c. 49. Diaz in Pract. c. 27. Bonac. Tract. de Sim. q. 4. §. 3. Navarr. l. 3. Consil. de censib. Cons. 4. Fernand. part. 3. c. 14. §. 1. n. 10. & Reginald. l. 23. c. 14.*

Ubi cum dixisset, certum esse, quod nihil pecuniâ æstimabile recipi possit, pro sacramentis & sacramentalibus, in 201. post acceptos ordines tamen ultro oblatum aliquid absque ullo antecedente pactione admitti potest concedit. At meminisse oportet, nonquam censeri donatum liberaliter, non item in pretium, quod immediatè datur pro ordinatione, sive ante, sive post eam detur? & sive episcopus fuerit aliqui gratis collaturus ordinè, sive non: & sive accipiens sit ipse episcopus collator, sive alius: & sive dans sit is, qui ordinatur, sive alius. Ita ille cum *Sily. v. Simonis, q. 6.*

II. Quæ autem in *Auth. citata* legitur, non legem aliquam constituit, sed illius temporis consuetudinem commemorant, secundum quam electi, & ordinati certam pecuniæ summam Ecclesiæ, ad quam pertinebant, elargiebantur: quæ consuetudo contraria ullo, & legibus hodie sublata est. *V. Bartol. in c. Sicut episc. cit. & c. in ordinando, de Simonis.*